

custodiunt, manē * offertur, propter prandentes, quia jejunia simul & * *Al. offer.*
 lavacra tolerare non possunt; ad vesperam verò, propter jejunantes. *tur Christo*
 Si autem quæris, cur etiam lavandi mos ortus sit; nihil mihi de hac re
 cogitanti probabilius occurrit; nisi quia baptizandorum corpora, per
 observationem Quadragesimæ sordidata, cum offensione sensus ad
 fontem tractarentur; nisi aliquâ die lavarentur: istum autem diem poti-
 us ad hoc electum, quo cœna Dominica anniversariè celebratur. Et
 quia concessum est hoc baptismum accepturis, multi cum his lavare vo-
 luerunt, jejuniumque relaxare. His, ut potui, disputatis, moneo, ut ea,
 quæ prælocutus sum, serves, quantum potes; ut decet Ecclesie pruden-
 tem ac pacificum filium. Alia, quæ interrogasti, si Deus voluerit, alio
 tempore expediam.

EPIST. CXIX.

Augustinus Januario, copiosius differens de ritibus Eccle-
 siæ, vel iis, quos negligi fas est, vel iis, qui tollendi sunt,
 si citra majus incommodum liceat. Has duas epistolas Au-
 gustinus recenset inter libros, ob hanc prolixiorē.

V. præced.
 Epist. sub
 initium.

Dilectissimo filio, Januario, Augustinus

LECTIS literis tuis, ubi me commonuisti, ut debitum redderem de resi-
 duis enodandis quæstionibus, quas jam longè antè quæsi veras, gra-
 tissimum mihi que charissimum desiderium studii tui amplius differri,
 tolerare non potui, &, quamvis in mediis acervis occupationum mea-
 rum, hanc feci præcipuam, ut ad ea, quæ me interrogasti, responderem
 tibi. Diutius autem de tua epistola disputare nolo, ne hoc ipsum me
 impediât jam tandem reddere, quod debeo.

CAP. I.
 Aug me-
 minit 2.
 Retr. 20.
 Et Possid.
 in lnd.

Quæris, quæ causa sit, cur anniversarius dies celebranda Dominica
 passionis, non ad eundem redeat anni diem; sicut dies, quâ traditur natus.
 Et deinde subjungis; Si hoc sit propter sabbatum & lunam: quid sibi
 velit in hac re observatio sabbati & lune. Hic primùm oportet, ut no-
 veris, diem natalis Domini non in sacramento celebrari, sed tantum in
 memoriam revocari, quòd natus sit; ac per hoc nihil opus * erat, nisi
 revolutum anni diem, quo ipsa res acta est, festâ devotione * significari.
 Sacramentum est autem in * aliqua celebratione, cum rei gestæ ita re-
 memoratio fit, ut aliquid etiam significari intelligatur, quod sanctè acci-
 piendam est. Eo itaque modo agimus Pascha, ut non solum in me-
 moriam, quod gestum est, revocemus, * id est, quòd mortuus est Chri-
 stus & resurrexit, sed etiam cætera, * quæ circa ea attestantur ad sacra-
 menti significationem, non omittamus. Quia enim, sicut dicit Apo-
 stolus; mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificatio-

* Al. erit
 * Al. signa-
 ri.
 * Al. alia
 561.
 * Al. id
 quod
 * Al. quæ
 ea
 Ir. quæ ei
 Ad Rom. 4.
 35